

(4) Viro Illustri
 D. D. Carolo Linnæo
 Archiatro Regis Professori Med: Upsaliensi inclyto
 Fautori et Amico suo exoptatissimo
 sal: pl: dicit
 Balthasar Johannes de Buchwald

Annus jam fere agitur ex quo ultimæ Tuæ ad me datæ d: 16 May mihi gratissimæ profecto per Discipulum Tuum pariter ac meum dilectissimum Tych: Holm ad manus meas pervenere, quas grata maxime colo ac recolo mente, ac dudum Patrono universitatis Regiqve Augustissimo perlegendas tradidi, unde maxima felicitatis spes affulsit Holmio nostro, qui ante menses circiter sex in Norwegiam missus, ut lui crudeliter et quasi endemicæ grassanti inter colonos in circumferentia metallifodinarum habitantes mederetur atqve simul Naturalia ibidem producta fideliter observaret usqve ad mensem septembr: et forte ultra, unde reducem ad exterâs et remotiores regiones dimittere spero. interim præter omnium spem favor Magnatum quorundam vel sors constituit heic exoticum et hactenus plane ignotum hominem Doct: Oeder ex informatione celeberrimi Halleri Botanicum extraordinarium cum salario 400 imperialium, qvem Facultas Medica cum toto senatu Academico Hafniensi Titulo Professoris minus dignum judicavit propter specimen disputatorium de irritabilitate in hac alma minus ornate scite ac erudite elaboratum et defensum, qvem certissime ab Holmio nostro superatum iri confido. Hæc vero cuncta amplius Tibi Vir celeberrime enarrabit præsens harum Lator ornatissimus et doctissimus Medicinæ studiosus Petrus Ascanius Norwegus, qui Præceptorem atqve Doctorem Te in scientiis ad salutarem artem plurimum facientibus vere Roscium avide petit, et obtinere sperat, qvem favorem si ipsi præstiteris facies mihi et studioso rem gratissimam Tibi vero honorificam, animumque meum ad omnia officii genera jam olim paratissimum ulterius Tibi ad cineres devincies. Præter leviores quasdam dissertationes quas an-